



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

11. An peregrini morientes sine electione sepulturæ sint in Parochia, vel
Ecclesia Cathedrali sepeliendi? Et quid, de vagabundis, & illis, qui in villam
ruralem se transtulerunt recreationis causæ, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

existeret de consuetudine, Gratian, *lib. 1. discept. forens. c. 94.* post Franc. in *d. licet. n. 3.*

RESOL. X.

An Canonicus, si non elegit sepulturam sit sepeliendus in Parochia, vel in Ecclesia Cathedrali? Ex p. 5. tr. 3. Ref. 111.

§. 1. **A**D partes hanc quæstionem pertractat Iul. Laurinus in *elucubr. tit. 2. c. 11. a. n. 62.* usque ad n. 85. Bonacina vero de *contr. disp. 3. qu. 21. punct. 3. n. 6.* §. 10. vult Canonicum Ecclesiæ Cathedralis sepeliendum esse in Cathedrali, quia hæc est ipsius Parochia, & circa præsentem quæstionem in casu occurrenti, vide Lapum *alleg. 63. nu. 4.* Ancharanum *conf. 3. 69.* Tuschum *tom. 6. lit. I. concl. 99. n. 5.* Archid. in *c. statum. §. cum vero, de rescript. in 6.* & alios penes ipsos.

RESOL. XI.

An peregrini morientes sine electione sepultura sint in Parochia, vel Ecclesia Cathedrali sepeliendi?
Et quid de vagabundis, & illis, qui in villam ruralem se transfulerunt, recreationis causa, ibique moriuntur?
Ex p. 5. tr. 3. Ref. 113.

§. 1. **S**I commodè possent transportari ad sepulchra maiorum suorum, id fieri debet, alias sepeliuntur in Parochia, in qua moriuntur, vt docet Syluester in *sepultura. qu. 8.* quem probat Iodoc. in *eodem ver. n. 5. §. 2.* quamvis Zabarella *conf. 90. num. 1* quem probat Tuschus in *ver. sepeliri, concl. 189. n. 5.* affirmet in Ecclesia Cathedrali sepeliendos esse, quia tanto minori spatio non possunt dici facti Parochiani, & idem probat de vagabundis; sed si Parochia administravit illis Sacramenta, ad ipsam spectat ius sepeliendi, nam sepultura magis accedit ad communionem Sacramentorum, quam ad communionem diuinorum officiorum. Et ita docet Molfesius in *summa tom. 2. tr. 1. c. 8. n. 30.* vide etiam Gratianum *c. 298. n. 15.* & sequent. Seraphinum *dec. 1037.* & Bellettum in *disq. Clericor. part. 1. tit. de Clerico debitore, §. 3. n. 21.*

2. Notandum est tamen hîc obiter quoddam qui in villam ruralem se transfulerit recreationis causa, ibique mortuus est, non electa alibi sepultura, hic sepeliendus est in Parochia ciuitatis, si ad eam commodè transferri potest. Ita Panorm. in *cap. in nostra, num. 10. de sepult.* Ita alij.

RESOL. XII.

An si quis testatur infirmum dixisse se velle in tali Ecclesia sepeliri, sit in illa sepeliendus?
Et an in ditto casu sufficit dictum Confessarij tantum, vel codicilli inualidi? Ex part. 5. tract. 3. Ref. 106.

§. 1. **R**espondeo negatiuè, nam ad probandam electionem sepulturæ requiruntur saltem duo, vel tres testes, cum sit species vltimæ voluntatis, & agatur in ea de præiudicio Ecclesiæ parochialis, sicut

In indice primo huius Tom. 8. Vide Apendicem ad hunc Tract. 8. Vbi reperies alias multas quæst. missas, & dist. per alios Tom. Tract. & Res. quæ simul pertinent ad hunc Tract. 8. de Casibus occurr. Tempore mortu.

quælibet dispositio ad causas pias requirit numerum duorum, vel trium testium, cum efficitur testam. & ita docet Genuenis in *praxi c. 61. n. 10.* & Iulius Laurinus in *var. elucubr. tit. 2. c. 11. n. 18.* vbi addit, probatam sepulturam etiam codicillo inualido, vel per scripturam manu propria subscriptam, & etiam per testes singulares, vt si deponat audiuisse electam sepulturam à Francisco in tali loco, sed diuersis temporibus. Imò in tali casu sufficere dictum Confessarij tantum tradit Molfesius in *sum. tom. 4. tr. 13. c. 8. n. 32.* & ita practici in Curia Archiepiscopali Neapolitana, testantur Laurinus vbi supra n. 20. in fine.

RESOL. XIII.

An si moribundus committat uxori, filio, vel alteri electionem sua sepultura, talis electio fieri debeat, et veniente? Ex p. 5. tract. 3. Ref. 105.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Gemianus in *c. is qui, §. mulier, n. 6. de sepult.* Lopus in *1. de sepul. in 6.* quia talis commissio exprimit mortem mandantis, & licet electio committi possit, & ipse committens decesserit commissione iam facta, non tamen decesserit facta electione, & ideo acquiescit ius Ecclesiæ, in qua debet sepeliri non electa sepultura; aliud enim est eligere sepulturam, aliud electionem committere, & ita Neapoli seruatur, vt docet Genuenis in *Praxi Archiep. cap. 61. n. 1.*

2. Verùm Gutierrez de *sacram. confirm. part. 2. c. 4.* Menochius *conf. 60. n. 6.* Anchar. *conf. 214.* & alij, docent tenere huiusmodi electionem etiam post mortem committentis, vide illos; sed ad tollendas lites, supra dicta electio efficiatur ante mortem committentis.

RESOL. XIV.

An si bona hereditaria non sufficiant ad solvenda debita, possint adhuc deduci expensæ necessariae ad summae debitoris iam mortui?
Et an expensæ superfluas ad honorem, & pompam mundanam hæres facere possit? Ex p. 5. tr. 3. Ref. 116.

§. 1. **R**espondeo deduci posse moderatas expensæ necessarias ad summae debitoris iuxta qualitatem ipsius, antequam fiat solutio creditoribus, etiam si creditores habeant hypothecam in bona debitoris sepeliendi, seu defuncti. Ratio est, tum quia impense funeris præcedunt omne debitum, penult. ff. de religiosis & sumptibus funerum, & lat. si quis. §. 1. tit. eodem, tum quia grauis necessitas excusat à restitutione, tum quia creditores censentur hoc rationabiliter permittere pro re tam necessaria, præsertim cum illa bona censentur adhuc esse ipsius debitoris, & ita in hoc casu hæres præferatur ceteris creditoribus. Vide Molfesium in *summa tom. 2. tr. 13. c. 8. n. 41.* Petrum Nauarra de *rest. lib. 4. c. fin. n. 27.* qui addit expensæ superfluas ad honorem & pompam mundanam tuta conscientia hæredem facere non posse, quæ quidem verba, vt apparet, non negant quoddam hæres non possit facere expensæ moderatas, vt dixi, iuxta qualitatem mortui in numero Clericorum, & Religiosum in quantitate luminum, vel cultræ, &c.